

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

Nobilissimus vir, Franciscus Cunradus à Sickingen, humanissime me excepit. Ex variis sermonibus de religione ipsius insignem pietatem animadverte. Putavit autem, mihi non fore satis tutum, si in tali locotam exposito insidiis adversariorum figerem sedem. Ac quia intelligebam, Palatinum Electorem varias lites movere nobili, & quasi prætextum quandam indignationis studiose querere, visum est mihi declinandum esse istam suspicionem, quasi in Electoris odium & invidiam me foveret nobilis. Cætera ex Domino Laurentio cognoscet.

Cum has parasset literas, venit ad has nondinas D. Illyricus, qui refert, Nobilissimum virum Wolfgangum à Köteritz, consiliarium Principis Wolfgangi, ad se scripsisse, ut mecum ageret, ne operam meam cuiquam addicerem, ante Paschatos festum. Spem enim esse, me vocatum iri à Duce Bipontino. Doct. Petrus Brem, rediens ex Aula Wolfgangi, per Bibliopolam Jenensem simile quid mihi significari jussit. Literæ autem Köteritzii ad Illyricum hac de re inclusæ literis Illyrici, ad me, Argentinam missæ sunt.

Quod si igitur ad tuas manus pervenerunt, quæso da operam, ut per homines fidos hoc transmittantur. Si etiam tuo testimonio vocationem apud Ducem Wolfgangum promovere potes, quæso, ne graveris. Vel si quid à Köteritzio intellexisti, communica.

Austriacorum responsum adhuc expesto: Tuum etiam impetrare consilium. Existimo te ex Wolfgango Köteritzio per literas cognoscere posse, an qua isthic certa sit spes de me vocando: si rumor vanus est, significa quæso, num putes, me de Principis Bipontini voluntate Lagingæ posse impetrare hospitium, & quid des consilii.

Scio, te multum pollere gratia apud Illustriss. Principem Wolfgangum, & tuum testimonium apud ipsum celsit: magnum habere pondus. Ne ergo graveris patrocinari innocentiae. Si liberius ad te scribo, tibi imputa.

Tua enim comitate, candore, & tuo officio ad hanc libertatem me invictasti. Peto ut rescribas. D. D. Pastoribus & collegis, & Domino Valentino Erythræo adscribo salutem. Bene vale cum uxore honestissima, & liberis dulciss. Francofurti, 16. Aprilis, 1565.

Tilemanus Heshusius, reverenter te colens.

LXXV.

Salutem à Filio DEI. Reverende vir, pater colende. Vere Deus adjutor est in oportunitate. Est autem hic titulus cum gloriæ divinæ plenus, turn

Bb

con-

194
consolationis abundantissimus. In extrema enim necessitate, cum humanis consiliis nullus amplius relictus est locus, tum demum splendescit divinatum promissionum indubitata veritas, divinae clementiae inexhaustae opes, & potentia ejus infinita. Tār. adūnātū, inquit ille, nīgri lvp̄ bīs. Non mediocriter heri turbatus fui, eò quod intelligerem, amicos meos metuere, ne & hic mihi denegetur hospitium. Argentinense enim exemplum & animos & ora quorundam gubernatorum occupavit. In his vero angustiis constituto, ob viam mihi fit clementissimus pater, adjutor in oportunitate. Ecce D. Ludovicus Grempius, præstantiss. vir, tanquam angelus domini, tuas & D. Köreritzii literas mandatu. Illustrissimi Principis Palatini, Wolfgangi, scriptas mihi adfert, & simul Celsit. suæ voluntatem & erga me clementiam mihi multis exponit. Ex animo igitur & ardentí pectorē gratias ago Filio Dei, quod pro immensa bonitate sua gemitus meos exaudivit, & hospitium saltem pertenti, etiam honestam conditionem offert. Laudabo Dominum in vita mea: psallam ei, quafndiu fuero. Omnes viae Domini justitia & veritas. Quam commode cecidit, quod Dominus Ludovicus in aulam Palatini profectus fuit. Non aliter hanc conditionem accipio, quam si ipse Deus me vocaret. Tibi igitur, reverende & perpetuo colende pater, habeo gratias, pro tua benevolentia, commendatione ad principem, & præcibus apud Dominum. In timore Dei & cum seria imploratione auxiliū divini, constitui sequi hanc oblatam vocationem. Et Deo duce & protecione primo quoque tempore ad nobilissimum virum, Dominum Wolfgangum Köreritzium, proficiscar. Tuin terea cum tuis collegis, fratribus meis dulcissimis, negotium hoc DEO commendabis, ut eum det eventum, qui sit nominis divino glorioſus, & Ecclesiæ Dei & mihi salutaris. Hoc pietatis officium à vestra domestica Ecclesiæ, & à vestris collegis, viris præstantibus, submisse & fraterne peto. Proficiscar autem de consilio optimi viri, Ludovici Grempii: qui & literas ad Illustriss. principem est pollicitus. Ante paucos dies tibi & do: Laurentio, hospiti meo, scripsi; spero, literas rectè curatas esse. Minæ filii Carolostadii nihil te moveant. Impotentis animi, & vani hominis indicium sunt minæ. Vides autem istud hominum genus, carnem ponere brachium suum, ut loquitur scriptura. Dominus vero protector noster, quid faciet nobis caro? Bonorum & eruditorum hominum judicium est, te libro tuo non vulgare beneficium præstissem Ecclesiæ. Multis nominibus gratias ago Filio Dei pro oblata conditione. Inter cætera, si vocationem Dominus confirmabit, gratulabor mihi, quod te, quem patris loco & diligo & colo, non solum vicinum amicum, sed etiam consiliorum gubernatorem sim habiturus. Protocollum Heidelbergensium nondum legi: nihil vero dubito, quin domestico testimonio suam prodant impietatem. D. Hartmanni nomine tibi & omnibus fratribus adscri-

A. 1565.

PARS TERTIA.

195

scribo salutem. Meis etiam verbis honestissimam tuam conjugem salutari cupio.

Die Institutionis Cœnæ Dominicæ, pro cuius dignitate tuenda prælia Domini gerimus. 1565.

Excell. F.

reverenter colens

Tilemannus Heshusius.

LXXVI.

Gratiam & pacem per Christum.

Præter spem atque voluntatem meam occasione profectionis urgente Argentina discedere sum coactus te insalutato, integerime ac Reverendissime Antistes. Etsi autem pridie discessus mei bis terve te domi tuæ accesserim, ut fueram pollicitus, dolui tamen, te domi non invento sublatam mihi occasionem ex integro liberandæ fidei mæ, imprimis verò præstandi officium meum, quod singularis illa benignitas ac comitas, qua te invisen tem exceperisti, jure postulabat. Sed quod gravissimis tuis occupationibus tum impedientibus non est concessum, istis literis, quibus studium atque benevolentiam erga te meam, quam possum, officiosissime declaro, resarciri oportet. Cæterum ad rem.

Quum illam nunquam satis deplorandam ecclesiarum divisionem, quam dissidium in articulo de Cœna Domini olim peperit, alit verò nunc auget que indies, considero, dolere satis non possum rùm dissipatæ Ecclesiæ vi cem, tum maximè eorum, qui hac perpetua contentione & ab omni piæ concordia conditione abhorrente perpetuum Ecclesiæ luctum, Sathanæ exultationem imprudentes creant. Atque eo magis doleo, quo unamquamque partium ad victoriam & triumphum de altera aspirare potius quam de pia quapiam ratione ineunda, qua aliquando tandem sævissimi isti fluctus confideant, cogitare video. Verùm nobis, qui ad oves Christi verbo suo congregandas, pascendas, alendas, refocillandas, &c in pacis pulchritudine retinendas ac conservandas vocati, eas jugulamus, mactamus, dispergimus præpostero nostro zælo, seu potius perpetuo quodam studio ac libidine contendendi: & quod longè est fœdissimum, argumento sine fine tumultuandi inde sumpto (hoc est à Sacra Domini Cœna) undè si Christi spiritus ac mens, quam alioqui pro se quisque nostrum jactare non cessat, vigeret in nobis, perfectæ in ipso dilectionis ac unionis deberet sumi. Et cur nullo profanationis Cœnæ Dominicæ loco hoc habemus?

Bb 2

At-